



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti

Hartmann, Christoph

Friburgi Brisgouiae, 1612

Petrus II. Ex Baronibus A Vvolhavse Abbas Heremitarum XXVII. Princeps
Imperii Decimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38545



PETRVS II. EX BA.
RONIBVS A VVOLHAV.

SE ABBAS HEREMITARVM
XXVII. PRINCEPS IM-
PERII DECIMVS.



ANVS octauus & septuagesimus maxime du-
orum orbis monarcharum morte memorabilis
fuit. Primus decessit Gregorius xi. Kal. Aprilis.
Post eius obitum schisma in Ecclesia DEI om-
nium atrocissimum exortum quod per annos prope qua-
draginta orbē Christianum magnopere perturbauit. Roma-
ni enim continuò Urbanum vi. eximia virtutis, & pruden-
tiæ virum Pontificem crearunt. At verò Galli, & qui Avini-
one, post Gregorij in Italia reditum, permanferant Cardi-

nales,

A. D. M.

CLV.

CCC.

LXXIIX.

nales Clementem VII. pontificem nominauere. Diuisa hinc per partes Europa. Italia, Germania, Pannonia, Scotia Vrbanum pro Christi Vicario percoluere: Gallia, Hispania, Anglia Clementem. Carolus verò vitam & Imperium exiit III. Kalend. Decemb. Pragæ successore regni Bohemix, vti & Imperij relicto Venceslao. Sigismundum alterum filium Marchionem, & Electorem Brandenburgi creauerat, precio Bauariæ principibus, qui obtinebant, representato. Vnierat Henricus episcopus Constant. ante annos septemdecim de consensu, & voluntate Capituli sui Ecclesiam parochialem Stefæ monasterio nostro, ad quos jus patronatus pertinebat, ea conditione, vt quotiescunque Bruno, qui tum paræciam regebat, deficeret, eius Abbas possessionem iniret. At verò Bruno pietatis studio, & commiseratione motus, quod monasterio, post acceptas in suis in Elfatia, & Argouia maximè possessionibus sitis ingentes ab Anglis, præteritis annis, clades & vastationes, neq; ad vsum necessaria, nedum ad charitatem aduenis faciendam suppeditare compertum habebat, vltro ad Henricum episcopum tum fortè Badæ agentem accessit, liberèque paræciam Stefæ, & quidquid in ea juris habebat & emolumentum in manus eiusdem episcopi consignauit, præsentem Rudolfo ex baronibus à Bunsang conuentuali, & eo in negotio Monasterij procuratore, & syndico. Episcopus collaudata Brunonis voluntate, & pio adfectu, non modo consignationem recepit, sed continuò literas ad Decanum Tigurinum dedit, vti Abbatem in possessionem paræciæ præsentem duceret. Acta hæc, vt notauimus, Badæ anno Domini millesimo, trecentesimo septuagesimo octauo, sexta die mensis Iulij, Indictione prima. Eodem anno concessit abbas Petrus quædam bona, & decumas in territorio Surbseensi sitas Margarithæ Haimonis à Liechtenau viduæ, & filio eius Georgio, acceptis florenis auri ducentis, præsentem Rudolfo à Listernau vtriusque curatore, quas tamen, restituta pecunia, post quadriennium Monasterio reuindicaret. Factum conventionis Instrumentum Surbse, post festum Conuersionis B. Paulli. Anno octoge-

A. D. N.

CCLXXX.

LXXX.

fimo, cc-

fimo, celebrauit Venceslaus Comitia Francofurti. Ea occasione legauit ad eum abbas Petrus qui Regalium confirmationem poscerent. At ipse, fauentibus, & consiliantibus, qui aderant, Imperij principibus, non modo priuilegia omnia, immunitates, donationes à suis antecessoribus concessas, & traditas adprobauit, sed vt suæ etiam memoriæ aliquod pignus apud Heremitas exstaret, nouum pro publicè proscriptis sanxit, quo non solum impunè apud Heremitas, eorumque in Dominijs, & locis ad ipsos pertinentibus agitare permittit, sed ipsos ab iisdem hospicio, domo accipi, ac retineri posse peculiari gratia, constituit. Hac addita conditione, vt si quis sit, qui jus experiri contra eosdem publicè proscriptos, & domo extorres voluerit, id ex monasterij, & eius locorum, dominiorumque, in quibus fuerint, consuetudine, moribus, & institutis, petentibus reddatur. Acta hæc Francofurti die sancti Georgij, regni Bohemici anno xvi. Romani iv. Kalendis Iunij eius anni, terra valide contremuit, repetita intra paucos dies concussione, insolens quoque Solem amplexus circulus horrorem metumque futurorum mentibus ingenerauit. Anno octogesimo primo declarauit Henricus episcopus Ecclesiam Stefensem Quartis non teneri, quas sibi, & suo Capitulo, cum eam mensæ monasterij assignaret, reseruauerat, nec rectè ab antecessoribus suis petitas, & acceptas, incorporationem esse puram, & absque conditione, & reseruacione Quartæ prædictæ, quæ adjecta fuit improuidè in vnione & incorporatione Ecclesiæ. Eius rei, siue Instrumenti principium, quia memoriæ & gratitudinis plenum adponere volui.

HEINRICVS DEI gratiâ Episcopus Constantiensis Venerabilibus & religiosis in Christo Abbati, & Conuentui Monasterij sanctæ MARIÆ loci Heremitarum Ordinis Sancti Benedicti, Constantiësis diœcesis, salutem in Domino, & indigentis vestris fauoribus subuenire. Cum nos in dicto nostro Monasterio ab infantia educati, & monasticis disciplinis imbuti, cooperante Domino, ad Abbatialem digni-

tatem

A. D. N.

CLV.

CCC.

LXXXI.

tatem eiusdem. post adsumpti tandem ad apicem Pontificalis dignitatis, de eodem vestro Monasterio, diuinâ fauente clementiâ, promoti, propter sterilitatem frugum, mortalitatem hominum vestri Monasterij, guerras terra partium, & alias necessitates vestras & causas rationabiles de consensu etiam nostri Capituli Ecclesiam parochialem in St. aui. etc. Datum in castro nostro Clingnouu Anno Domini M. CCC. LXXXI. XV III. Kalend. Mens. Ianuarij, Indictione quarta.

A. D. N.
CCLXXXIII

Id ipsum alio Instrumento paullo post iterum confirmavit, eodem in opido Clingnau scilicet XIII. Kalend. Ianuarij. Eodem anno, Comites Kiburgi, qui Burgdorffi, & Duni agebant, inquieto, & impacato animo aduersus principuè Bernates, & eorum socios Salodorense, pridie D. Martini episcopi Salodorum nocturnis insidijs occupare tentarunt. Vnde natum quidem tum Kiburgicum bellum, sed iacta quoque semina Sempacensis omnium atrocissimi. Anno octogesimo tertio, mense Martio concessit Petrus abbas Ioanni Verdenbergæ, & Sargauni Comiti omnium suorum mancipiorum vsum & Dominium, virilis feudi nomine, quæ in eiusdem Ioannis comitatu Sargaunensi debebant, eo tempore, & reperiebantur, reseruato sibi iure proprietatis, obitus, & alijs priuilegijs. Vicissim tradidit Comes eodem iure, & conditionibus abbati omnia sua mancipia quæ intra Heremitani principatus fines, & Dominia tum versabantur, factæ vtrimque eius rei literæ IV. Idus Martij. Octobri sequenti fundauit abbas Petrus cum vnanimi consensu, & voluntate totius Collegij in honorem, & memoriam sanctæ MARIÆ Virginis gloriosæ, beatorum Apostolorum necnon beatorum patronorum Mauritiij, Sigismundi, MEGINRADI, & Iusti martyrum, & totius cælestis Curia ob augmentum diuini cultus, animarumque salutem missam perpetuam in altari dictorum duodecim Apostolorum, necnon dictorum beatorum martyrum sitam in Monasterio. Huius foundationis condidit Instrumentum suo, & Collegio sigillo munitum, feria tertia proxima post festum

Michaëlis

Michaëlis archangeli, in quo continentur conditiones, quas accepturus, & obseruaturus sit, quisquis sacerdos eius altaris beneficio frui voluerit, itemque altaris redditus, & alia. Eodem mense, venit dux Leopoldus ad Pontem Arulæ, vbi aliquandiu substitit. Appropinquante jam Christi liberatoris nostri natalitia celebritate, cum fortè in arce Gotliebe infra Constantiam agere Henricum Episcopum audisset, valetudineque aduersa teneri, ad eum protinus Petrus Abbas accessit, humiliterque petijt, vt sumto Bullæ Leoninæ priuilegio exemplaribus omnibus inde descriptis, & publicatis ex se talem auctoritatem daret, quæ legentibus, & audientibus, fidem faceret vera esse & incorrupta quæ in ea continentur. Quod cum Henricus annuisset, insito aduersus DEIPARÆ Matris ædem cultu, & Heremitas amore, & gratitudine, has ipsas literas ipso natalis Domini die, toto Episcopatu publicari in eius rei testimonium curauit & paucis post diebus esse desijt. Literarum exemplum infra positum est.

HEINRICVS DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS gratiâ Episcopus Constantiensis, Uniuersis, & singulis Christi fidelibus presentes nostras literas visuris, & audituris notitiam subscriptorum cum salute in domino IESV sempiterna. In nostra constitutus presentia personaliter venerabilis, & religiosus in Christo dominus Petrus de Vuolhusen, diuinâ fauente clementiâ, Abbas Monastery alma DEI genitricis MARIÆ loci Heremitarum, Ordinis S. Benedicti, nostra diocesis, literas felicitis recordationis domini Leonis papa octauis subscripti tenoris coram nobis in medium producens nobis humiliter supplicauit, quatenus huiusmodi literas transsumere, copiare, seu exemplare mandarem, taliterque nostri sigilli episcopalis munimine roborare quod huiusmodi nostris copiis, exemplis, & transsumptis, à quolibet eas inspiciente, legente, ac audiente presertim in foro conscientia, possit atque debeat plenaria fides adhiberi. Quibus etiam literis per nos omni, qua decuit, reuerentia re-

Hb ceptis,

ceptis, lectis, ac cum diligentia recensitis, cum de omnimoda veritate in eisdem contentorum, nec non de suspicionis carentia, ac obseruantia earundem diuturna per plurimum centenariorum annorum curricula in concusse, ac irreprehensibiliter facta plenarie nobis constet, huiusmodi literas Apostolicas copiare, transsumi, nec non exemplari mandauimus, nostrique sigilli Pontificalis appentione roborari. Quarum quidem literarum Apostolicarum tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis.

LEO Episcopus seruus seruorum DEI. Conuenit Apostolico moderamini pijs locis relligione pollentibus benivola compassione succurrere. etc.

Et quia nos Henricus episcopus presatus in predicto monasterio ab infantia fuimus educati, ibidemque viximus degendo sub monastica disciplina, nec non professione expressa, demum pralati fuimus in Abbatē Monasterij memorati, de qua quidem Abbatia, diuina dispositio in Pontificalem nos transvexit dignitatem, sic quod, predicta DEI gratia, seu eius obseruantia diuturna, imo longissima, plenissime ac de omnibus contentis in Bulla prenominata nobis constet, ut est promissum. Quare prescriptas literas Apostolicas, & omnia contenta in eisdem, & presertim gratiam, que narrat, A POENA ET A CVLPA ABSOLVTIONEM, adprobamus, nec non iugiter tempore obseruandas, ac etiam sub roboris firmitate permansuras quemadmodum à summis Pontificibus, & Episcopis Constantiensibus nostris predecessoribus sunt absque contradictione qualibet, necnon impugnatione tolerata, tolerandas, sustinendas, ac perseueraturas fore in DEI nomine in his scriptis auctoritate nostrā ordinariā declaramus. In quorum visionis, tolerationis, approbationis, & declarationis euidentis testimonium atque robur presentes literas, seu presens transsumptum, seu exemplar nostri sigilli Pontificalis munimine fecimus communiri. Datum, & actum in castro nostro Gottlieben Anno Domini M. CCC. LXXXIII. VIII. Kal. mens. Ianuar. Indictione v.

Ceterum

Ceterum vita defuncto Heinrico episcopo, dissidium inter eligentes successorem exortum, alijs Manigoldum à Brandisio, Heinrici consanguineum, & tum Richenaugiæ abbatem; ceteris Nicolaum à Rihenburgò nominantibus. Tenit tamen Nicolaus eius nominis tertius. Anno quarto & octogesimo incidit dies festus Matthiæ Apostoli in feriam quartam cinerum aspersione, & humanæ fragilitatis memoria sollennem. Nicolaus episcopus feria tertia, quæ Hilariorum vltima erat, & alias in eiusdem diui honorem ieiunio consecrata, carnis edendæ licentiam fecit toto episcopatu. Multi tamen castigatiores & in ieiuniorum obseruatione & reuerentia obfirmati carne sic quoque abstinuere. Eodem anno absoluit Ioânes Comes Verdenbergensis, omnibus vectigalibus, & portorijs, suis in ditionibus pensitari solitis, abbatem Petrum, eique hac de re priuilegium dedit, quo neque ipsum, neque eius subditos teneri confirmauit, duraturum dum Petro vita, mox, eo mortuo finiturum, idq; ob singularem quo Petrum prosequeretur amorem, & Monasterium vniuersum reuerentiam. Annus quintus & octogessimus celebris fuit magno Ciuitatum Rheni, Sueuiæ, & Franconiæ foedere, in quibus etiam fuere Constantia, Tigurum, Berna, Tugium, Basilea. Dux Leopoldus nulla adhuc sinistra de Confederatis opinione, aut metu, Tigurum venit, & inde Rapersvillam, ductu, & nauibus Tigurinorum, vbi ad eum cum Heluetiorum omnium legati venissent, & Suijs etiam vectigalis Rapersvillæ ad pontem soluere soliti, gratiam fecisset, suas illis ditiones commendauit, pacem inter se colere, & habere, subditis quoque suis omnibus rebus Confederatis gratificari, amicè & pacatè viuere præcepit. Idem quoque Confederati promiserunt. Hac spe in Austriam ex Heluetia discessit. Vigilia Thomæ Apostoli paucis quàm dux abierat diebus elapsis, Rapersvillam Tigurini, & Glaronenses occupare, vti fama fuit, tentârunt. Atverò Lucernenses Rotinburgum opidum & arcem, nullo indito bello, euerterunt, die Innocentium, quod ibidem ab Hermâno Barone à Grueninberg præfecto vectigalia insolita

A.D. M.

CIV. CCC.

LXXXIX.

A. D. N.

CIV. CCC.

LXXXV.

*A. D. N.**CID.**CCC.**LXXXVI.*

imposita adferent. Entlibuochianos etiam Petro à Torberg pignore ab principibus traditos, rebellantes, in suam protectionem receperunt. Anno mox sequenti, Sempacum, & Meyenbergam opida Austriaca, pariter suæ potestatis fecerunt, plures sub hæc arces, accitis Siluanijs, & Vranijs, exciderunt. Suitij verò totam Heremum, & eius omnes incolas, Marchiamque inferiorem invaserunt, & sacramento aegerant. Leopoldus cum multis apud Germaniæ principes plerosque, de Confederatorum iniurijs conquestus esset in Germaniam superiorem acceleravit, ex Alsatia in Helvetiam transijt, & Zoffingæ frequentem delectum habuit. Audito mox Helucios in Comitatu Kiburgenfi vastabundos morari, Sempacum, vt præsidium eorum inibi opprimeret, properavit. Quo cum, eodem tempore, Confederati Lucernenses, Vranienses, Suitij, Siluanenses peruenissent, prælium illud memorabile supra opidum ediderunt, quo præter maximam nobilitatem ipse Dux Leopoldus interfectus 1 x. Iulij. Albertus cognomento cum trica audita fratris & nobilitatis clade, magnis itineribus, ex Austria in Helvetiam contendit, collectisq; exercitus reliquijs, exsequias fratris apud Campum regis, quo funus detulerant, magna frequentia, & lacrimis celebrauit, accitumque Leopoldum interfecti filium bello præfecit. Variæ postea utrimque excursiones, cædes, prædationes, toto pene anno, fuerunt, donec inducias in Februarium proximum Imperiales Sueviæ vrbes inter partes conciliarunt. Fine anni Episcopatum sponte abdicavit Nicolaus, cumque tandem post multas contentiones obtinuit Manigoldus Brandisus, rexitque per biennium. Anno septimo & octogesimo, finitis inducijs, rursus partes arma & omnia hostilia exercuerunt. Imperiales secundo inducias annuas interposuerunt quæ haut perinde seruata cum fide. Igitur quamprimum exierunt arma multò atrocius anno insequenti corripuerunt. Confederati apud Naualia Austriacos, duce Ioanne Verdenbergenfi iterum vicerunt, Rapersvillam per aliquot hebdomadas frustra obsederunt, oppugnaruntque. Austriaci contra

*A. D. N.**CID. CCC.**LXXXVII.**A. D. N.**CID. CCC.**LXXXIIX.*

pagos

pagos nostros, sed quos Suij, vt diximus, occuparant, Feficonem, Frienbach, Volrau populati sunt. Non cessabat, tamen interea abbas Petrus, adsumto in eandem operam antistite Verthingensi, inter partes obequitare, magnis contentionibus pacem suadere, sollicitareque. Accesserunt quoque eadem, quæ prius, Imperiales vrbes, quæ non cura inferiore eadem tentabant, vrgebantque, & denique multo labore impetrarunt, feria v. post festum paschalis anni noni, & octogesimi, pactis inter Austriæ principes, & Confederatos septem annorum inducijs. Publicatæ ipsæ magna omnium congratulatione kalend. Aprilis eiusdem anni. Conditio inter alias fuit, vt quæcumq; Confederati tempore belli occuparunt, eadē, durantibus inducijs, retinerent. Additum tamen vt quæ nostri monasterij erant, & armis Suij in suam ditionē redegerāt, abbati Petro restituerētur, aduocatio quoque Monasterij ad Austriacos principes pariter rediret: sola ea Suijs remanerent, quæ in Marchia inferiori subegerant. Post Manigoldum, qui viii. Kalend. Nouemb. anni superioris repentino obierat, creatus Constantiæ episcopus Burcardus ex baronibus ab Heuue. Hoc eodē anno cum xvii. kal. Nouemb. vitam & pontificatum summum reliquisset Urbanus vi. viueret adhuc Auenione Clemens, Romæ pontifex lectus Bonifacius ix. Neapolitanus, tricesimo ætatis anno, sed qui, ea ætate omnium maximè lubrica, ita vixit, ita remegsit, vt nulla ei merito libidinis, aut insolentiæ macula adspergi potuerit. Anno nonagesimo xiii. Kalend. Iulij vitam etiam exiit abbas Petrus, multis laboribus, & bellorum cladibus exhaustis, vno maximè contentus, profectò etiam apud posteros commemorabilis, quod, sua maximè opera, pacem inter Austriacos, & Confoederatos partam vigere, & seruari intelligebat, sui que inde Monasterij res, & subditos prosperare. Suffectus Ludouicus ex Comitibus à Thierstein.

A. D. M.
CII. CCC
LXXXIX.

A. D. M.
CII. CCC
XC.